

buimus et presentibus litteris adhibemus, quas in huius evidens testimonium scribi fecimus et sigilli nostri robore communiri.

Datum iuxta Bacharacum anno domini M^o CCC^{mo} quartodecimo XI. die Septembris.

11.

1313 April 21 Prag¹.

Iohannes dei gratia Boemie et Polonie rex, sacri imperii citra montes vicarius generalis ac Lucemburgensis comes, providis viris universis Iudeis per totam Alamanniam constitutis, quibus reverendus pater dominus Phylippus Eystetensis episcopus in aliquibus debitis obligatus^a existit quibusque presentes exhibite fuerint, servis camere imperialis, gratiam suam. Quamquam iamdudum eidem domino episcopo, consiliario et amico nostro dilecto, et ecclesie sue ex eo, quod serenissimo domino Heinrico Romanorum imperatori, domino et genitori nostro karissimo, in Ytaliā^b ad presens in persona propria serviet cum armatis, usque ad ipsius reditum omnes usuras apud vos de speciali dicti nostri genitoris beneplacito duxerimus suspendendas vobisque super hoc nostras dudum direxerimus^c litteras speciales. Quia tamen, prout intelleximus, contra huiusmodi mandatum nostrum fideiussores vestros commonere postmodum et usuras ab eo petere denuo presumpstis, universis vobis ac singulis sub obtentu favoris et gratie tam dicti nostri genitoris quam nostre mandamus, iterato precipientes firmiter et districte, precise volentes, quatinus a data priorumstrarum litterarum vobis super hoc negotio directarum usque ad ipsius domini episcopi reditum ad propria nullas ab eo vel ecclesia sua usuras, commessiones aut obstagia petere deinceps vel exigere quomodo libet presumatis. Alioquin vos non solum de debitis principalibus, verum etiam de usuris eisdem accrescentibus auctoritate generalis vicarie nobis commisse per memoratum dominum episcopum et ecclesiam suam exnunc quittatos esse volumus ipsosque a vobis omnibus et singulis de eisdem debitis principalibus videlicet et usuris penitus ab-

a) 'obligatis' Kop. b) So Kop. c) Kop.: 'duxerimus'.

1) Kopialbuch fol. XXIX sq. Rubrum: 'Rex Iohannes Bohemie et Polonie, vicarius sacri imperii, mandat Iudeis per totam Alamanniam constitutis, ne usuras repetant (Kop.: 'reputant') ab ecclesia Eystetensi'.